

ENCYCLICAL ON PEACE¹

VENERABLE BROTHERS:

PATRIARCHS, PRIMATES, ARCHBISHOPS, BISHOPS
AND OTHER LOCAL ORDINARIES WHO ARE
IN PEACE AND COMMUNION WITH THE APOSTOLIC SEE
DURING THE MONTH OF OCTOBER
PRAYERS TO THE BLESSED VIRGIN MARY
ARE TO BE SAID.

POPE PAUL VI

Venerable brothers, health and apostolic benediction.

It is a solemn custom of the faithful during the month of October to weave with the prayers of the Rosary a spiritual garland to the Mother of Christ. This we heartily approve, following the example of our predecessors, and this year we call upon all the children of the Church to perform these special exercises of devotion to the same Most Blessed Virgin.

For we are threatened by a more extensive and more disastrous calamity that endangers the human family, even as a bloody and difficult war is raging, particularly in areas of East Asia. So, we are urged to continue working even more intensely, to the extent of our power, for peace.

¹ A translation of Pope Paul VI's encyclical letter on peace, CHRISTI MATRI ROSARI, dated Sept. 15 and made public Sept. 19, 1966.

Similarly, the souls of men are deeply disturbed by things which all know are taking place in other parts of the world. For instance, there are the increasing race for nuclear weapons, the unscrupulous efforts for the expansion of one's nation, the excessive glorification of one's race, the obsession for revolution, the segregations enforced on citizens, the iniquitous plotting, the murder of the innocent. All of these are potential material for the greatest possible tragedy.

It seems to us, as it seemed to our more recent predecessors, that a very provident God has committed to us a special task, namely that we labor with patient and persevering effort for the preservation and the strengthening of the peace. This task, as is evident, arises from the fact that we have been entrusted with the governing of the whole Church, which as a "sign raised to the nations" (Cfr. Is. 11, 12) does not serve political ends but should convey to the human race the truth and grace of Jesus Christ, its divine author.

Actually, from the very beginning of our apostolic ministry, we have neglected no opportunity to use our prayers, entreaties and exhortations for the cause of world peace. In fact, as you well remember, last year we flew to North America in order to speak about the need for peace in the presence of the General Assembly of the United Nations, before that selected body of representatives of almost all the nations. We then counselled all peoples that they should not tolerate some to remain inferior to others, that no one should attack others, but rather that all should unite their zeal and their efforts towards establishing peace.

And after this, moved by a deep, apostolic concern for men, we did not cease to urge those who had the responsibility for such a momentous task to ward off from men the monstrous catastrophe which perhaps was about to overwhelm them.

Now again, therefore, we lift up our voice "with piercing cry and with tears" (Heb. 5, 7), very earnestly beseeching those who have charge of the public welfare to strive with every means

available to prevent the further spread of the conflagration and even to extinguish it entirely. For we do not doubt that all men who sincerely seek what is right and what is just — no matter what their race, color, religion or social status may be — feel the same way we do.

Therefore, let all those responsible strive to bring about those necessary conditions which will lead men to lay down their arms at last, before it becomes too late to do so owing to the mounting pressure of events. Those in whose hands rests the safety of the human family should realize that at this critical moment their consciences are bound by the gravest obligation. With their own country, with the world, God and history before their minds, they should carefully examine their moral record and obligations, remembering that men will esteem their memory if they will have followed this exhortation with wisdom.

We cry to them in God's name to stop.

Men must come together and work out concrete plans and terms in all sincerity. A settlement should be reached now, even at the expense of some inconvenience or loss; for it may have to be made later in the train of bitter slaughter and involve great loss.

But this peace must rest on justice and the liberty of mankind, and take into account the rights of individuals and communities. Otherwise it will be shifting and unstable.

At the same time as we are moved to make this anxious declaration, our high responsibility as a pastor indicates to us that we must ask help from on high, since peace, whose "benefits are so great that even in earthly mortal affairs no more pleasing name is heard, nothing is desired with greater longing, nothing better can be found" (St. Aug., *De Civ. Dei*, 19, 11; P.L. 41, 637), must be asked from Him who is the Prince of Peace. As the Church in uncertain and troubled times used to turn for refuge to His Mother Mary, a most ready intercessor, it is right for us to direct our attention, yours, venerable brothers, and that of

all the faithful to her who, as St. Irenaeus says, "was made the cause of salvation for the whole human race" (Adv. Haer. 3, 22; P. G. 7, 959).

We can see nothing more appropriate or efficacious than for the whole Christian family to raise its voice amid its many stresses and difficulties to pray the Mother of God, whom we also address as Queen of Peace, to be generous, as a good mother, with her gifts. During the Second Vatican Council we gave our confirmation to a point of traditional doctrine when we gave her the title of Mother of the Church, a title acclaimed by the Council Fathers and the Catholic world.

We must pray earnestly and unceasingly to her, for she is the Mother of Our Saviour, and "clearly the Mother of his members," as St. Augustine teaches (*De Sanct. Virg.*, 6; P.O. 40, 399). St. Anselm, to mention no others, agrees with him: "Can you ever have a greater dignity than to be the mother of those whose father and brother Christ deigns to be?" (Or. 47; P.L. 158, 945). In fact, from our predecessor Leo XIII she received the same title: "Truly the Mother of the Church" (epist. enc. *Adiutricem Populi Christiani*, 5 Sept. 1895, Acta Leon. 15, 1896, p. 302). Hence in our distress at this terrifying upheaval we do not hope in her in vain.

If misfortunes increase, the dedication of the people of God should also increase. And for that reason we are anxious for you, venerable brothers, to give a lead and urge by exhortation a more persevering prayer to the gracious Virgin Mary by the devout recitation of the Rosary during the month of October, as we have already indicated. This prayer is well suited to God's people, acceptable to the Mother of God and powerful in obtaining gifts from heaven.

The Second Vatican Ecumenical Council clearly referred to the Rosary, though not in express terms, when it reminded all the faithful that "practices and exercises of devotion towards her (Mary), recommended by the teaching authority of the Church

in the course of the centuries, are to be held in high esteem" (*Dogmatic Constitution on the Church*, N. 67).

As the history of the Church so frequently testifies, this duty of prayer, so abundant in its fruits, is efficacious in averting evils and calamities and greatly fosters Christian living. "Above all, it nourishes the Catholic faith which, by timely meditation on the sacred mysteries, gains new strength, and it lifts the mind to the contemplation of divinely revealed truths" (Pius XI, encyclical letter *Ingravescentibus Malis*, 29 Sept. 1937; A.A.S. ser. II, 4, 1937, p. 378).

And so during the month of October, dedicated to Our Lady of the Holy Rosary, our prayers and supplications should be redoubled, in order that through her intercession there may dawn for all men the light of true peace, of true religious peace also, for unfortunately at the present day not all are permitted to profess their religion freely.

We especially desire that this year Oct. 4, the anniversary, as we have already said, of our visit to the United Nations in the cause of peace, be set aside by Catholics throughout the world as a day of prayer for peace. It will be your task, venerable brothers, in keeping with your commendable religious zeal and your realization of the importance of this appeal, to prescribe the observances through which priests, Religious and laity—and especially the innocent in the flower of youth and the sick in the midst of their sufferings—may be joined together in generous prayer to her who is the Mother of God and of the Church.

On the same day, in St. Peter's basilica, at the tomb of the Apostle, we also will hold a special ceremony of supplication in honor of the Virgin Mother of God, the protector of Christians and our intercessor for peace. In this way, the one voice of the Church will resound on all the continents of the earth and reach the very gates of heaven. For as St. Augustine states, "amid the various languages of men, the faith of the heart speaks one tongue" (Enarr. in Ps. 54, 11; P.L. 36, 636).

Look upon all your sons with motherly love, O Blessed Virgin. Consider the anxieties of the bishops who fear the assaults of evil on their flocks; consider the anguish of so many men, fathers and mothers of families who are worried about their lot and that of their families who are assailed with agonizing responsibilities. Calm the hearts of men at war and inspire them with "thoughts of peace." Through your intercession may the demands of God's justice, which have been caused by sin, be turned into mercy; may He bring mankind back to the peace it longs for; may He lead men to true and lasting prosperity. Encouraged by the firm hope that the most high Mother of God will in her kindness grant our humble prayer, we lovingly grant to you, venerable brothers, to the clergy and to the people entrusted to the care of each of you, the apostolic blessing.

(Documentary Service, NCWC News Service, Sept. 19, 1966)

EPISTOLA APOSTOLICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PAULI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE VI

AD VENERABILES FRATRES

IOANNEM CARMELUM S.R.E. CARDINALEM HEENAN
ARCHIEPISCOPUM VESTMONASTERIENSEM

ET

GORDONIUM IOSEPHUM GRAY ARCHIEPISCOPUM

CETEROSQUE ANGLIAE ET SCOTIAE

ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS

CUM ALTER CONVENTUS SCHOLASTICAE DOCTRINAE
ILLUSTRANDAE OXONII ET EDIMBURGI CELEBRETUR

SEPTIMO EXPLETO SAECULO

AB ORTU IOANNIS DUNS SCOTI

VENERABILIBUS FRATRIBUS

IOANNI CARMELO S.R.E. CARDINALI HEENAN
ARCHIEPISCOPO VESTMONASTERIENSI

ET

GORDONIO IOSEPHO GRAY ARCHIEPISCOPO

S. ANDREAE ET EDIMBURGENSI

CETERISQUE ANGLIAE ET SCOTIAE

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

ALMA PARENS virum, tanto gloriosae subolis honori et decori
Magna Britannia aliud, non minoris quidem putandum, ornamen-
tum sibi adicit: novit enim clarorum natorum recordationem
studiosa cura custodire, atque, cum ex translaticio more sollem-

nes recurrentes memoriae id exigunt, novit eisdem quasi debitum munus dignitati congruentes certatim laudes exsolvere.

Haec animum Nostrum sponte subierunt, haec Nobiscum volebantur suasu quidem pergrato, cum fusi ad Nos pervenerunt nuntii de altero internationali Conventu Scholasticorum doctrinae illustrandae, qui istic apparatus ad recolendum Venerabilem Ioannem Duns Scotum, cum ab eius ortu septimum expleatur saeculum.

Congressio eiusmodi Oxonii et Edimburgi auspicio vestro, Venerabiles Fratres, alacri studio et accurata diligentia celebrabitur. Iam vero facile prospicitur fore, ut ea ad magnificos adducatur exitus et haud parvi momenti sane habeatur, ubi consideratio intendatur sive in argumenta, de quibus ibi pertractabitur, sive in spectabilium virorum numerum, qui coetibus istis intererunt. Nam Studiorum Universitates Angliae et Scotiae, et ex exteris gentibus Studiorum Universitates Parisiensis et Coloniensis ubi is magisterio functus est et aliae bene multae mittent, qui ibi personam suam gerant; aderunt praeter catholicos ex Anglicana Communione delecti viri et ex universo orbe terrarum insignes sacrarum disciplinarum studiosi.

Iam in limine expectationis, dum stato Conventui felicem decursum et uberes fructus percupimus, aperte profitemur Nos laetitiam capere ex singulari habitu certisque notis, quibus Conventum istum distingui plane placuit. Enimvero illud manet fixum statutumque, ut praecipue in nitenti lumine collocentur Ioannis Duns Scoti persona, philosophica et theologica doctrina, itemque lineamenta quae ad eius mores et asceticam indolem spectant. Disceptionum et controversiarum, quae praeteritis aetatibus haud raro exortae sunt, scopulis vitatis, praeoptatur criticae artis et historiae ratio et regula, quae nunc temporis magni ducitur, eaque, cum a praeclaris doctis viris adhibita esset ad excutiendum, quaenam germana essent Doctoris Subtilis opera, quaenam verae et sincerae eius sententiae, cultu valde fructuosa exstitit.

Hac quidem de causa convolutis nisibus intenditur, ut late patentibus lineis undelibet componatur conspectus, visio scilicet

totius Scholasticorum doctorum familiae, ex quo quidem praeter alia metiri et complecti licebit varietatem, opulentiam, ubertatem philosophicae et theologicae doctrinae, quae media aetate floruit.

Procul dubio hoc in prospectu S. Thomas Aquinas cum sua «Summa theologiae» veluti vertex sese extollit qui celsior imminet finitimis editis montibus, scilicet orbi sacrae doctrinae illa aetate perpolitae. Synthesis, quam Angelicus Doctor composuit in enuntiandis congruentiis inter Fidem et Rationem, inter Fidem quaerentem intellectum — prout antea vester S. Anselmus Cantuariensis edixerat¹ — et intellectum quaerentem Fidem, tam unanimes nacta est consensus, ut ille in Scholasticorum numero et serie quasi princeps appareat et Doctoris Communis appellatione rite glorietur. Verumtamen apud eum conspicui Scholastici magistri et doctores consurgunt quasi interlucentia sidera, quibus eodem aetatis decursu catholica doctrina micanter radiat.

Ceterum in Encyclicis Litteris *Aeterni Patris* Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri, ubi magnopere exposcitur, ut Scholasticorum studia refloreat, S. Thoma Aquinate duce, contra hodiernos opinionum errores, postquam illud enuntiatum est: «longe eminet Thomas Aquinas»,² alii enumerantur Scholastici doctores, et in eminenti collocatur gradu S. Bonaventura, qui postea a S. Pio X «princeps Scholasticorum alter»³ vocatus est; et huius Seraphici Doctoris apud omnes constat Ioannem Duns Scotum perfectorem evasisse.

Praeterea animadvertendum est Oecumenicum Concilium Vaticanum II edito Decreto *De Institutione Sacerdotali* praescrip-
sisse: «Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni imprimis ad solidam et cohaerentem hominis, mundi et Dei cognitio-

¹ S. Anselmus, *Proslogion*, prooemium (P.L. 158, 225; Ed. Schmitt F.S., I., Seccovii 1938, 94).

² Leo XIII, Litt. Encycl. *Aeterni Patris* (*Acta Leonis XIII*, I, Romae 1881, 272).

³ S. Pius X, Epistola *Doctoris Seraphici* (*Acta Pii X*, I, Romae 1905, 235).

nem acquirendam manuducantur, innixi patrimonio philosophico perenniter valido»,⁴ quo haud dubie franciscalis Schola continetur.

Apud augustum et primarium templum S. Thomae Aquinatis praeter alia honorabile exsurgit, quamvis dissimili structura et mole, templum, quod, firmis innixum fundamentis et arduis exornatum pinnaculis, ardenti contemplativo ingenio usus, Ioannes Duns Scotus ad aethera extulit. In speculando, rationem et inclinationem Platonicam et Augustinianam is plerumque secutus est, Stagiritam modo probans, modo improbens; cumque summam comprehendisset et altius perpolisset de re sacra commentationes quinquaginta plusque franciscalium Scholasticorum doctorum, in quibus S. Antonius Patavinus, Alexander de Hales, S. Bonaventura, Matthaeus de Aquasparta, Richardus de Mediavilla, Adamus de Marisco, Rogerus Bacon, Villelmus de Ware, eosdem omnes subsecutus, franciscalis Scholae maiore nobilitate praestans signifer exstitit.

Cuius in opere latent certe ferventque S. Francisci Asisinatis perfectionis pulcherrima forma et seraphici spiritus ardores, cum ibidem inter scire et bene vivere illi hoc praepolleat. Quia autem affirmat supereminentem scientiae caritatem, universum primatum Christi, summi operis Dei, magnificatoris SS. Trinitatis, Redemptoris humani generis, Regis in rerum naturae et supra naturam utroque ordine, prope quem splendet congenita pulchritudine Maria Immaculata, mundi Regina, evangelicae revelatae veritatis facit, ut sublime ferantur cacumina, singillatim ea, quae S. Ioannes Evangelista et S. Paulus Apostolus in Dei salutifero consilio eminentia et prominentia contuiti sunt.

Multorum in votis est, ut ex isto, qui in Magna Britannia habebitur Conventu ad honorandam Doctoris Subtilis et Marialis memoriam, bonorum fructum fruges maturescant, sive quod ad cogitationem et meditationem, sive quod ad mores et actionem vitae attineat. Nos cumprimis id percipimus, ut historiae theologiae et particulatim historiae theologiae Scholasticorum docto-

⁴ Decretum *De Institutione Sacerdotali*, n. 15 (Typis Polyglottis Vaticanis, 1965).

rum inde vividiora studia recalescant, ob id ipsum flagrent desideria serenae investigationis, quae dispersa una comprehensione complectatur et ad artis trutinam deducat.

Nobis prorsus persuasum est ex theologico thesauro Ioannis Duns Scoti, magni sane pretii, lucida erui posse arma ad impugnandam et amovendam piceam atheismi nubem, quae aetati nostrae caliginem offundit. Saepe saepius ii, qui vel ratione vel usu denegant esse Deum, nihil aliud sunt quam qui simulacra et phantasmagorias a se ficta adorant, evanescentes in cogitationibus suis.⁵

Doctor Subtilis, qui suam construit theodiceam principiis et rationibus Deum spectantibus e Sacris Litteris haustis, «Ego sum qui sum»,⁶ et «Deus caritas est»,⁷ mire et accommode suam explicat et evolvit doctrinam super Eo qui est «verum infinitum et bonum infinitum»,⁸ «primum effectivum», «primum finitivum», «simpliciter primum secundum eminentiam», «pelagus perfectionum»⁹ et «dilectio per essentiam».¹⁰

Verumtamen alia quoque Nobis arridet spes. In communi declaratione, quam die XXIV Martii hoc anno in Basilica S. Pauli Apostoli extra moenia cum venerando fratre Michaële Ramsey, Anglicano Cantuariensi Archiepiscopo, fecimus, expressa sunt vota «ut inter Ecclesiam Catholicam Romanam et Communionem Anglicanam sedulo instituantur colloquia, quorum veluti fundamenta sint Evangelium et antiquae Traditiones utrisque communes, quaeque ad illam unitatem, pro qua Christo oravit, in veritate perducant».¹¹

Ad contexenda eiusmodi serena colloquia inter duas communitates Scoti doctrina aurea fortasse poterit ministrare subteg-

⁵ Cfr. *Rom.* 1, 21-22.

⁶ *Exod.* 3, 14.

⁷ *1 Io.* 4, 16.

⁸ *Ord.* I, dist. 3, n. 59 (Ed. Vat. III, 41).

⁹ *Ord.* I, dist. 2, n. 57-59, 60-62, 41; dist. 8, n. 198-200 (Ed. Vat. II, 162-165, 165-167, 149-150; IV, 264-266).

¹⁰ *Ord.* I, dist. 17, n. 171 (Ed. Vat. V, 220-221); *Lectura* I, dist. 17, n. 116 (Ed. Vat. XVII, 217).

¹¹ Declaratio Pauli VI et Archiepiscopi Cantuariensis (A.A.S. LVIII, 1966, 287).

mina. Enimvero tria per saecula, antequam seiunctio ab Apostolica Sede facta est, ea communiter in Britannorum Scholis trahebatur, non externa, sed in fertili patrio loco florens per virum, qui in Magna Britannia natus et altus est, et hanc nobiliter colustrat non minus celeri et multiplici ingenio quam sapientia in rebus usuque vitae versata. Fuit enim theologus qui construit, quia diligit, isque diligit amore certo definitoque, qui est *praxis*, secundum proprium eidem effatum: «Est ostensum dilectionem esse vere praxim»¹²

Quare bene is potest istis serendis colloquiis scientiae elementa suppeditare, utrisque grata, spiritu afflatuque moderante, qui seraphicae caritati summam rerum ac principatum assignat. Admonet is gradatim esse procedendum: «in credibilibus non sunt ponenda plura quam convinci possit ex veritate creditorum».¹³ «Nihil est tenendum tamquam de substantia fidei, nisi quod potest expresse haberi de Scriptura, vel expresse declaratum est per Ecclesiam, vel evidenter sequitur ex aliquo plane contento in Scriptura vel plane determinato ab Ecclesia».¹⁴

Profecto Doctoris Subtilis in eo iugis versata est cura, ut diligenter attenderetur et numquam labefactata reverentia observaretur magisterium Ecclesiae, cui charisma inest veritatis: «Si aliqua de novo proponuntur ab aliquo qui tenet vicem doctoris, non tenetur quis assentire... sed prius tenetur consulere Ecclesiam et sic errorem vitare».¹⁵ «Ecclesia duce et magistra»: hoc sub signo ibat, hoc explicabat vexillum.

Ipse cognitionis incrementa accurata criticae artis ratione inquiri et prosequitur, ad generantia principia attento converso mentis obtutu, et placido iudicio suas proponit inde deductas sententias, idcirco motus, ut ait Ioannes de Gerson, «non singularitate contentiosa vincendi, sed humilitate concordandi».¹⁶

¹² *Ord.*, prol. n. 303 (Ed. Vat. I, 200).

¹³ *Ord. IV*, dist. 11, q. 3, n. 3 (Ed. Vivès XVII, 352 a).

¹⁴ *Ord. IV*, dist. 11, q. 3, n. 5 (Ed. Vivès XVII, 353 a).

¹⁵ *Reportatio III*, dist. 25, q. un., n. 6 (Ed. Vivès XXIII, 462 a).

¹⁶ I. de Gerson, *Lectiones duae «Poenitemini»*; *lectio altera*, consid. 5 (*Opera IV*, Parisiis 1521, fol. 34 rb).

Contra rationalismi placita is animadvertit rationem et cogitationem coarctari et terminari limitibus in cognoscendis veritatibus divinitus revelatis, hasque prorsus ideo necessarias esse monet, ut homo ultimum finem, ad quem procreatus est, assequatur. In praeclaro autem conamine inveniendi harmoniae concentum inter veritates naturales et veritates supernaturales, componendi conubii Fidei et philosophiae commonstrat id, in quod incidi possit, periculum, sese inducendi in errores ethnicorum philosophorum, et ut ait S. Bonaventura, cui ipse assensus est, tantam aquam «scientiae philosophicae» admiscendi «vino Scripturae Sacrae, ut vinum in aquam transmutetur». ¹⁷

Hisce consona cogitatis omina fausta facimus, ut aurea messis in agro natura sua feraci inde nascatur, atque doctis e deceptionibus late patentibus et concordibus consensibus reflorescat veritas, «quae nos adeo sublime extollit». ¹⁸

Quae ut confirmemus paterna vota, invocamus alteri internationali Conventui Scholasticorum doctrinae illustrandae, qui Oxonii et Edimburgi in honorem nominis Ioannis Duns Scoti agitur, propitium praesidium Dei, veritatis et amoris fontis, qui nos «condiligentes» vult uno suo actu amoris, ¹⁹ atque haec adprecari, Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, iis, qui in eodem promovendo Conventu operam ponunt, itemque iis qui ibi intererunt, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Iulii anno MCMLXVI, Pontificatus Nostri quarto.

PAULUS PP. VI

¹⁷ S. Bonaventura, *Collationes in Hexaëmeron*, visio 3, coll. 7, n. 14 (Ed. Delorme F., *Ad Claras Aquas* 1934, 217).

¹⁸ Dantes Aligherius, *Paradiso*, XXII, 42: «la verità che tanto ci sublima».

¹⁹ *Ord.* III, dist. 28, q. un., n. 2 (Ed. Vivès XV, 378 b-329a).

VENERABILI
FRATRI NOSTRO
JOSEPHO S. R. E. CARD. PIZZARDO
PRAEFECTO S. CONGREGATIONIS
SEMINARIIS STUDIORUMQUE UNIVERSITATIBUS
PRAEPOSITAE

PAULUS PP. VI

VENERABILIS FRATER NOSTER,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum iam appropinquet Congressus Internationalis de Theologia Concilii Vaticani II, qui proximis diebus hac in alma Urbe habendus erit, expedit sane ut huiusmodi eventus celebratio, in quem sacrae doctrinae cultores tanta exspectatione animum intendunt, ab ipso Summo Ecclesiae Pastore per has litteras auspiciis, incitamentum, ductum accipiat.

Ultero fateri libet, hunc Congressum ob peculiarem ipsius formam, ob egregia proposita, ob sapientem argumentorum delectum, ob denique numerum diversitatemque oratorum, qui ad varias Nationes et ad varias theologicas scholas pertinent, votis optatisque Nostris plane respondere. Nec sine paterno solacio Nobis cernere est, colloquium illud, quod Ecclesia cum hoc mundo inire conatur, inter catholicos ipsos, et quidem inter

praecipuos theologiae sacrae cultores, laudabili sane frugiferaque ratione iam institui. Qua de re aequum est ex animo gratulari S. Congregationi Seminariis studiorumque Universitatibus praepositae, quae in hoc fovendo incepto mentis Nostrae fidelem se praebuit interpretem. Item merita honestare laude cupimus Nostrorum Athenaeorum Romanorum Rectores, quorum sedulae fraternaeque concordiae tribuendum est, quod celebranda Congressio tam pulchrum in modum catholicitatis notam prae se ferat. Denique peculiari modo grates persolvimus oratoribus universis, quorum permultos scimus egregiam iam dedisse operam Concilii Oecumenicii documentis conficiendis; cum autem nunc Romam repetant ad eadem documenta illustranda atque interpretanda, iidem profecto ipsius Congressus auctoritatem augment et optati exitus spem confirmant.

Gravi hac hora, qua Catholica Ecclesia exsequendis Concilii legibus dat operam, neminem sane fugit huius theologici Congressus pondus atque momentum. Siquidem post decretorum promulgationem, Concilii Oecumenicii munus nondum perfectum absolutumque est, cum eadem decreta, ut Conciliorum historia docet, initium novi itineris, potius quam adepta meta sint habenda. Adhuc necesse est, ut salutifera Concilii atque afflatu tota vita Ecclesiae penitus imbuatur atque renovetur; oportet ut vitalia germina, quae per Concilium in Ecclesiae solum iacta sunt, ad plenam maturitatem perveniant: quae omnia non ante evenient, quam ditissimum doctrinae patrimonium, a Concilio toti Ecclesiae traditum, sedula qua par est diligentia a christiano populo investigetur, cognoscatur, possideatur. Patet igitur, quanti aestimandae sint numeris partes theologiae cultoribus tribuendae, quippe qui sub ductu ecclesiastici magisterii prae ceteris idonei sint ad huiusmodi investigationis opus rite peragendum.

Quod autem Concilium Oecumenicum Vaticanum II fines praesertim pastorales assequi sibi proposuerat, id nullo modo partes extenuat vel minuit, quae ad theologos spectant. Immo, si alias umquam, hodie praesertim ipsa pastoralis muneris ratio postulat, ut spiritualis christifidelium vita firmo veritatis munimine fulciatur, eisdemque rectum tutumque monstretur iter ad

praecavenda hodiernorum errorum pericula, quorum vis tanta est, ut vel ipsa naturalia fidei fundamenta subvertere contendat. Ceterum dubitare nemo potest, quin ipsae ecclesiasticae disciplinae normae a Concilio Oecumenico statutae tanto magis vim suam et robur retinere valeant, quanto magis a sacrae theologiae principiis profluant et cum iisdem artibus nexibus copulentur.

At Nobis in animo non est momentum tantummodo huius Congressus in sua luce ponere; sed etiam utilia quaedam placet proponere, unde pateat, qua ratione eius labores peragi oporteat, ut Ecclesiae expectationem cumulate respondere queant.

Cum Congressus in theologica Concilii doctrina totus versetur, necesse omnino est, ut eius celebratio sacrum Concilii afflatum referat, eaque via ac ratione procedat, quae ab Oecumenica Synodo iam est adhibita.

Quam ad rem, probe est animadvertendum magnum momentum, quod Concilium Scripturis Sacris semper attribuit in theologica exponenda doctrina, etiam cum agitur de evangelico nuntio ad praesentium temporum necessitates accommodando. Praeterea in veritatibus revelatis considerandis, Concilium se habet ratione prorsus religiosa atque pastoralis; de Christi nuntio ita loquitur, ut homini inserviat; hominem considerat prout in historia salutis insertus est, de eodemque plenior scientiam proponit; iter parat ad omnium christianorum unitatem restaurandam, quin tamen Christi doctrina a Catholica Ecclesia tradita detrimentum ullum patiatur, Quo quidem procedendi modo Concilium viam rationemque ostendit, qua theologi, fidei rationisque lumine ducti, in sacra studia iam incumbere debeant, ita ut, dum verbo Dei fidele semper praestant obsequium, simul animum intendant ad omnes voces, ad omnes necessitates, ad omnia veri nominis bona nostrae doctrinae huius aetatis, quae tam cito progreditur. Scilicet Concilium sacrae doctrinae cultores adhortatur ad eiusmodi theologiam efformandam, quae non minus pastoralis evadat, quam ad scientiae rationem exacta; quae arctam coniunctionem cum Ecclesiae Patrum doctrina, cum sacra Liturgia, ac praesertim cum Sacris Scripturis sedulo servet; quae magiste-

rium Ecclesiae ac nominatim Vicarii Christi summo semper in honore habeat; quae ad homines spectet, prout in huius vitae adiunctis et condicione versantur; quae denique sit aperte oecumenica, non minus quam aperte et sincere catholica.

Arduum igitur immensaeque molis opus theologorum studio proponitur; ad quod quidem rite aggrediendum, ii omnes, qui proximo Congressui intererunt, semper ob oculos habeant auream illam normam: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.*

In primis unitas necessaria est in doctrina universa a Concilio tradita religiose servanda. Quae, cum Oecumenicae Synodi auctoritate sit comprobata, ad magisterium ecclesiasticum iam pertinet; ac propterea, ad fidem et mores quod attinet, norma proxima et universalis veritatis existit, a qua theologis viris in suis peragendis studiis numquam discedere fas est. In eadem autem doctrina aestimanda atque interpretanda, cavendum est, ne quis eam a reliquo sacro doctrinae Ecclesiae patrimonio disiungat, quasi inter haec discrimen aut oppositio intercedere possit. At vero, quaecumque a Concilio Vaticano II docentur, arcto nexu cohaerent cum magisterio ecclesiastico superioris aetatis, cuius continuatio, explicatio atque incrementum sunt dicenda. Revera hac etiam de causa Concilium est indictum, ut Decessor Noster Ioannes XXIII f.r. in auspicali allocutione asseveravit, nempe «ut iterum magisterium ecclesiasticum . . . affirmaretur» (A.A.S. 1962, p. 786). Nemo igitur audeat ad privatas interpretationes Concilii doctrinam detorquere, magisterio Ecclesiae posthabito: qui ita agunt, ut verbis utamur S. Leoni Magni, «magistri erroris exsistunt, quia veritatis discipuli non fuerunt» (*Tomus ad Flavianum*; ed. C. Silva Tarouca, Romae 1932, p. 21).

Hisce finibus statutis — quos ipsa verbi Dei dignitas postulat, quod univocum ac perenne perstare oportet — amplissimus patet investigationis campus, in quo agnoscitur «sive clericis sive laicis iusta libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi, in iis in quibus peritia gaudent» (Const. «*Gaudium et spes*» n. 62). In qua legitima libertate vere sita est theologicae doctrinae progressio. Nam,

ut Concilium declarat, «methodi gressusque diversi (adhiberi possint) ad divina cognoscenda. . . . Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab uno quam ab altero, ita ut tunc variae illae theologicae formulae non raro potius inter se compleri dicendae sint, quam opponi» (Decr. *De Oecumenismo* n. 17). Hinc discant de angustis suarum virium finibus conscii fieri et aliorum opinionum debitam habere rationem, eorum in primis, quos Ecclesia habet christianae doctrinae testes et interpretes praecipuos, quemadmodum Concilium, de altioris ordinis scholis agens, monet: «. . . singulae disciplinae . . . ita excolantur, ut . . . novis progredientis aetatis quaestionibus ac investigationibus accuratissime consideratis, altius perspiciatur, quomodo fides et ratio in unum verum conspirent, Ecclesiae Doctorum, praesertim S. Thomae Aquinatis, vestigia premendo» (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10). Qui hanc libertatem in se et in aliis tuetur, numquam sibi nimis confidit, non aliorum theologorum opiniones spernit, nec audebit coniecturas suas pro certa veritate proponere: sed colloquium cum aliis humiliter quaerit atque omnibus cogitatis opinionibusque suis veritatem ipsam semper anteferet.

Quaecumque autem sunt diversitates opinionum, quibus Congressum participantes inter se distinguuntur, omnibus tamen sanctum esto: ministerium veritatis numquam a christianae caritatis officio disiungendum esse. Quare certatim illud Apostoli gentium ad rem deducant: «veritatem facientes in caritate» (Eph. 4, 15). Etenim caritas est, quae efficit ut qualibet disceptatio frugifera evadere possit; quae viam sternit ad nova instituenda colloquia; quae animos inducit ad veritatem prompte faciliterque amplectendam. Quot lugendae dissensiones, quot steriles controversiae evenerunt, ob defectum caritatis in veritate tradenda vel investiganda. Detur igitur opera, ut romanus theologicus Congressus non minus caritatis flamma, quam veritatis lumine elucescat.

Solummodo his normis ac praeceptis in tuto positis, opera conferri poterit ad spiritualem illam renovationem, cuius causa Vaticanum Concilium coactum est. Ac fore confidimus, ut pro-

ximus theologorum conventus futuris etiam eiusdem generis Congressionibus exemplo sit, non tantum ad aptiorem Concilii decretorum interpretationem exhibendum, sed etiam ad utilia indicia inde eruenda, quae nostrae aetatis hominum necessitatibus respondeant, atque adeo Ecclesia «Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum» (Const. *Lumen gentium*, c. 11, n. 9).

Hac spe suffulti, uberrimas Divini Redemptoris gratias super proximum Congressum ex animo invocamus, earumque in auspiciis esto Apostolica Benedictio, quam universis Congressum participantibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Septembris, anno MCMLXVI, Pontificatus Nostri quarto.

PAULUS PP. VI

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus Episcopis Metropolitae ZAMBOANGENSI suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem. Qui hodie per apostolicas litteras Sedi metropolitanae Zamboangensi consuluimus, vacanti per translationem venerabilis fratris Aloisii del Rosario ad Ecclesiam titulo Thigensem, id vos certiores fieri curamus, quorum Sedes sunt sacro Praesuli Metropolitae suffraganeae. Sciatis ergo Nos, consilio ante petito a dilecto filio Nostro S.R.E. Cardinali Sacrae Congregationis Consistorialis Propraefecto, ad eam Ecclesiam regendam atque gubernandam venerabilem fratrem LINUM R. GONZAGA RASDESALES misisse, hactenus Episcopum cathedralis Sedis Palensis, quem haud minimae virtutes ornant tum ingenii tum animi. His vobiscum communicatis, hortamus pariter, venerabiles fratres, ut, qua semper fuistis erga hanc Romanam Sedem reverentia et obsequio, non solum velitis eum sueta animi bonitate excipere, verum etiam eum in iis soeptis, quae susceperit in totius provinciae bonum, iuvare, id cum animo reputantes ibi florere Ecclesias maxime, ubi sacrorum Praesulum unus fuerit animus, una mens; solet enim optabilis concordia omnium bonorum esse matrem et fontem. Ceterum, venerabiles fratres, omnia bona, prospera, felicia optamus sive vobis sive insularum vestrarum populis, quos in oculis habemus. Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die duodecimo mensis Augusti, anno

Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus
Nostri quarto. = F. T. =

JACOBUS ALOISIUS Card. COPELLO
S.R.E. Cancellarius

FRANCISCUS TINELLO, *Regens*

JOANNES CALLERI, *Proton. Apost.*

SYLVIVS ROMANI, *Proton. Apost.*

Expedita die V Sept. anno Pontif. IV

MARIUS ORSINI, *Plumbator*

In Canc. Ap. tab. Vol. CXXI, N. 43

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis e clero populoque metropolitanae Sedis ZAMBOANGENSIS, salutem et apostolicam benedictionem. Qui, translato sacro Praesule vestro Aloisio del Rosario ad Sedem titulo Thigensem a nullo rectore sui iuris regebamini, iam alium patrem, moderatorem, pastorem habetis. Volentes enim vobis providere, nullum censuimus accomodatius destinari posse, qui vos regeret iterque ad patriam conmostraret, quam venerabilem Fratrem LINUM R. GONZAGA RASDESALES, qui fuit hactenus Episcopus Palensis, virum omni laude ingenii animique cummulatum. Consilio ergo petito a dilecto filio Nostro S.R.E. Cardinali Sacrae Congregationis Consistorialis Propraefecto, cum eum a prioris Ecclesiae vinculo liberabimus, tum ei regimen vestrae Sedis dedimus. His dictis, vos hortamur, dilecti filii, ut non solum eum aequissimo animo excipiat, verum etiam ius mandata faciat, bene scientes Ecclesiam quotidie aedificari, virtute scilicet, diligentia, sapientia pastoris, oboedientia, alacritate, modestia filiorum. Ceterum volumus ut hae Litterae, Nostrae, ius cura qui ad praesens Zamboangensi Sedi moderatur, sive clero sive populo perlegantur, diem festum celebrantibus in cathedrali templo, post eas acceptas. Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die duodecimo mensis Augusti,

anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto. = F. T. =

JACOBUS ALOISIUS Card. COPELLO
S.R.E. Cancellarius

FRANCISCUS TINELLO, *Regens*

JOANNES CALLERI, *Proton, Apost.*

SYLVIVS ROMANI, *Proton. Apost.*

Expedita die V Sept. anno Pontif. IV

MARIUS ORSINI, *Plumbator*


In Canc. Ap. tab. Vol. CXXI, N. 43

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri LINO R. GONZAGA RASDESALES, adhuc Episcopo Palensi, electo Archiepiscopo Metropolitae Zamboangensi, salutem et apostolicam benedictionem. Philippinas Insulas, historia, situ, caelo omnium Insularum Pacifici Oceani celeberrimas, ac quasi flores pelagio emergentes, idcirco singulari benevolentia et voluntate Romani Pontifices maiores Nostri semper persecuti sunt, quod earum populi, in Christi fidem et religionem mitissimi, non modo eam vix ut cognoverunt et susceperunt, sed etiam per tot hominum aetates atque tempora integram incorruptamque servarunt, quasi thesaurum ad necem usque custodiendum. Quam ob rem, cum Ecclesia Zamboangensis, translato venerabili Fratre Aloisio del Rosario ad Sedem titulo Thigensem; iam vacaret oporteretque eidem sollicita cura rectorem providere, censuimus Te bene posse eandem administrare, quem et usus rerum, et prudentia, et pietas in Deum sincera distinguunt aptumque faciunt tanto muneri obeundo. Quae cum ita sint, consilio petito a dilecto Filio Nostro S.R.E. Cardinali Sacrae Congregationis Consistor. Propraefecti, Te regendae prioris dioecesis Palensis onere liberatum, ad archiepiscopalem Sedem ZAMBOANGENSEM gubernandam transferimus, factis iuribus impositis oneribus, quae sunt tuae auctoritatis propria. Ad iura iuranda autem quod attinet, Te ab iis iterandis eximimus, contrariis nihil obstantibus. Ceterum, venerabilis frater, non opus est Te ad virtutem hortemur. Id unum consideres velimus: Christum, Dei Filium, pro hominibus Crucem ascendisse



HIS GRACE
THE MOST REV. LINO R. GONZAGA RASDESALES, D.D.
Archbishop of Zamboanga



Explanation of the Coat-of-Arms

Two arms impaled to signify marriage of Archbishop to his Archdiocese

I. Dexter side — Arms of the Archdiocese:

At dexter (or jurisdiction half) appear the arms of the Zamboanga See. On a green field, signifying the fertility of the territory, is a masoned silver tower surmounted by a crescent. The crescent represents the famous image of the Virgin in the old Spanish fort to which devotees go to pray.

II. Sinister side — The personal arms of the Archbishop:

The personal arms of the Archbishop was inspired by the modern coat-of-arms of the Italian Gonzagas of these days, a family famous for having produced St. Aloysius, one of the patron saints of the youth.

But the Italian Gonzaga arms is here changed by transposing the colors and changing some symbols.

The coat-of-arms of the modern Gonzagas is a silver with a red cross patee. The four quarters formed by the cross are each occupied by black eagles. The superescutcheon is quartered: quarters 1 and 4 are red and occupied by a white rampant lion of Lombardy; quarters 2 and 3 are alternate horizontal bars three gold and three black, proper to the Gonzagas.

In the Archbishop's arms the colors are reversed. The shield is red divided by a silver cross patee. The black eagles are changed into white ones. Because the most aristocratic and strongest and fiercest of eagles is found only in the Philippines, the monkey-eating eagle.

On the canton, instead of one eagle, is the gold papal cross, the symbol of St. Linus (Webber's CHURCH SYMBOLISM, p. 282, col. 2). The background of red suggests his martyrdom (SUPERIMPENDATUS PRO ANIMABUS!).

The Gonzaga superescutcheon was also changed a little. Quarters 1 and 4 of red with a silver rampant lion were changed into blue with the eight-rayed Philippine sun to emphasize the fact that the Gonzaga in question is a FILIPINO.

ubi vitam profudisse. Fac, ergo, praecamur, ne quis pereat de
iis, qui sunt tuae curae concrediti. Datum ex Arce Gandulfi,
prope Romam, die duodecimo mensis Augusti, anno Domini mil-
lesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri
IV. = F. T. =

JACOBUS ALOISIUS Card. COPELLO
S.R.E. Cancellarius

FRANCISCUS TINELLO, *Regens*

JOANNES CALLERI, *Proton, Apost.*

SYLVIVS ROMANI, *Proton. Apost.*

Expedita die V Sept. anno Pontif. IV

MARIUS ORSINI, *Plumbator*

In Canc. Ap. tab. Vol. CXXI, N. 43

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri ALOISIO DEL ROSARIO, adhuc Archiepiscopo Zamboangensi, ad Sedem titulo Thigensem translato, salutem et apostolicam benedictionem. Qui adorandi Numinis voluntate in summo sacerdotis auctoritatis fastigio constituti sumus ut gregem electorum pascere omni ope ad aeternae tranquillitatis litora duceremus, id semper sacrum sanctumque habuimus ut venerabilium fratrum Episcoporum, qui sunt crediti gregis magistri, rebus ita consuleremus, ut solent ii qui in familia summum locum habent summamque curam atque sollicitudinem. Cum ergo Tu, venerabilis frater, post triginta tres annos, ex quo populum istum Zamboangensem regere atque gubernare cepisti, iam provecta aliquantulum aetate, gliscentibus usque negotiis, in eam mentem veneris idque petieris ut haec sacra Petri Sedes Te onere moderandae Ecclesiae tuae liberaret, Nos volentes conditioni tuae mederi, simulque plebi Christi dare rectorem, cum flagitanti Tibi concedimus, tum decori atque dignitati tuae providemus. Placet ergo, consilio petito a dilecto filio Nostro S.R.E. Cardinali Sacrae Congregationis Consistorialis Propraefecto, Te vinculo quo detinebaris metropolitanae Ecclesiae Zamboangensis liberare, item ad Sedem titulo THIGENSEM, pro hac vice ut dicunt, in ordinem Ecclesiarum archiepiscopo palium redactam, transferre, factis iuribus et honoribus huic tam amplae dignitati congruentibus. Te autem sive a fidei professione iteranda, sive a iure iurando fidelitatis erga Nos

et hanc Petri Cathedram eximimus, contrariis nihil obstantibus. Ceterum, venerabilis frater, dum Te paterna caritate prosequimur, de tuo labore gratias quam maximas agimus, id hortantes ut in posterum etiam tempus, quoquo poteris modo, Ecclesiam sanctam iubes. Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die decimo secundo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto. = F.T. =

JACOBUS ALOISIUS Card. COPELLO
S.R.E. Cancellarius

FRANCISCUS TINELLO, *Regens*

JOANNES CALLERI, *Proton, Apost.*

SYLVIUS ROMANI, *Proton. Apost.*

Expedita die V Sept. anno Pontif. IV

MARIUS ORSINI, *Plumbator*

In Canc. Ap. tab. vol. CXXI, N. 44

THE POPE SPEAKS . . .

TO EXPERTS ON SOCIAL JUSTICE

